

QK. 524, 77

X/1860/165

B

II c
961

DISSERTATIUNCULA

De

EPISTOLIS

SENECÆ AD PAULUM, ET
PAULI AD SENECA M, UTRUM

INDE CHRISTIANISMUS PHILOSO-
PHI PROBARI POSSIT, NEC NE?

Quã

PLURIMUM VENERABILEIS

D^{NN.} INSPECTORES,

OMNEIS ITEM CUJUSQUE OR-
DINIS AC STATUS SPECTABILES

HONORATISSIMOSQUE VIROS,

M. JOH. FRIDERICUS *Höberl*
Illustris Ruthenei Rector,

ad benevolè auscultandum

QUATUOR ORATIUNCULAS

VITUPERATORIAS,

*observantissimè, humaniter omninò
ac amicissimè*

INVITAT.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PIEWICKAVIANA

GERÆ, STANNO MÜLLERIANO.

73



Christianismus Senecæ quàm non sit omnino certus atq; indubius, ante octiduum istud, quantum licuit per iudicii imbecillitatem, ostensum fuit. Nam, quæcunqve Autorum testimonia pro illa re producta, fuerunt, ea aut non feriunt, quem sibi præfixerunt nonnulli, scopum, aut, si feriunt, non exactè ferire merito putantur. Equidem non sumus tam invidi, ut nolimus virum sapientissimum Christi notitiâ imbutum, & inter pios ac sanctos habuisse locum, & in agnitione Servatoris optimi de vitâ exiisse. Ecquid enim invidia aut noceret optimo Senecæ, aut prodesset his, qui vellent invidere? Quid? quod, ut Poëta Sulmonensis canit: (a)

Pascitur in vivis livor: post fata quiescit.

Neq; verò negamus, aditum patuisse Annæo ad Ecclesiam, eumq; veri Dei ac Sospitatoris Christi salvificam cognitionem potuisse comparare sibi, si quidem voluit. Christianorum quippe nomen, (b) & ipsius adeò Pauli non erat tunc ignotum Romæ, nec poterant ignorare penitus doctiores pro suâ, quâ solent esse, curiositate, quæ inter pios vigerent doctrinæ, usuqve receptæ essent. In omnium incurrebant oculos horrenda Christianorum martyria, omnium feriebant aures intrepidæ fidei confessiones, omnium animos rapiebat in stuporem sanguis tam copiosè effusus, ut rivus pingvedinis humanæ per arenam Amphitheatri sulcum fecisse, Tacitus annotârit. Neq; etiam repugnaverim præfractè, si quis dicat, potuisse Senecam proclivem esse ac pronum ad Christianam fidem, aut favisse huic occultè, sed, ne nomen eidem daret, aut, apertè Christum profiteretur, obstitisse crudelitatem sævissimi Neronis. Exinde enim non conficeretur, nisi hoc, *ὅτι ἐκ τῶν ἀδυνατῶν* fuisse, seu fieri fortè potuisse, ut Seneca non alieno planè animo fuisset à religione Christiana. Id verò nunc potissimum in controversiam venit, an reverâ, & ut Philosophi loquuntur, actu Christianismum sit professus Seneca, adeò ut inter genuinos Christianos ex verò connumerari queat? Testimonia Autorum, quæ præcedente dissertatiuncula fuerunt producta, *θεὸν* illam *διαφυλάττειν* non posse, nec probare, quod probandum erat; in confesso, opinor, est. Sed quoniam plurimi pro adstruendo Senecæ Christianismo ad epistolas provocant, quas Pauli ac Senecæ ἀμοιβαίας, ac mutuò scriptas arbitrantur; nunc de his porrò dispiciendum videtur. Id igitur certum est & confirmari testimoniis non unis potest, ex epistolis illis vulgò haustam plerisq; omnibus illam fuisse opinionem, quæ in album Christianorū adscribere Senecam non veretur.

Etenim

Etenim qui propemodum cuncti ex vetustioribus in hanc quoque modo
 dō propēdent sententiam, eos ex epistolis istis, tanquam ex fonte quo-
 dam eandem derivasse, liquet. Ita Linus, (c) ita Augustinus, (d) ita
 Hieronymus præcipuè, (e) & qui eodem cum hoc ævo vixisse creditur,
 Dexter (f) opinantur & fortè alii. Neq; verò dubium est, quin ex ho-
 rum lacunis idem hauserint, quos ex recentiorum numero eadem per-
 vasis opinio, ex quorum cœtu Jacobum Fabrum, Viennensem quon-
 dam Episcopum, Sixtum Senensem, Salmeronem, (g) Margarinum de
 la Bigne, (h) & Franciscum Bivarium (i) laudare satis erit superque, si
 laudandi sunt, qui, qualicunq; occasione datâ, se in errorum præcipitia
 rapi patiuntur. Arbitratur operosus Annalium Ecclesiasticorum con-
 ditor, (*) & cum hoc ejusdem Vir societatis Læi. Bisciola, (**) ex Lini
 Actis fluxisse opinionem, quâ prisciores præcipuè illi de epistolis Pau-
 lo-Senecianis fuerunt imbuti. Quod si ita est, de Lini illo scripto, quid
 sentire liceat cordatioribus ante omnia videndum. Et ecce Philippus
 Labbeus Bituricus, è S. J. de libris Lini hoc ferre judicium non veretur.
 (k) *Sanior longè est eorum sententia, qui cum Baronio, (l) Claudio Espenceo,*
 (m) *Bellarmino, (n) Posssevino, (o) Bisciola, (p) Joh. Maria Brasichellano a-*
liisq; Catholicis, ut eorum simios heterodoxos (ita nempe vocat, qui amba-
bus acceptant manibus, quod heterodoxi, vi veritatis compulsi, de ἑρω-
τολιμαίοις veterum Scriptis censent) omittant, contendunt pseudepigraphos
esse libros illos duos, qui inscribuntur de passione SS. Petri & Pauli Apostolorum
ad Ecclesias orientales. Et Margarinus Bigneus, Doctor Sorbonicus,
 (q) sub auspiciis librorum Lini hanc suspendit hederam: *duo isti li-*
belli de passione Petri & Pauli nomine S. Lini Rom. Pontificis & martyris, sunt
pseudepigraphi, multos errores continent, nec ullius censentur autoritatis, ut
jam eruditorum consensu nimis exploratum habetur. Quod si igitur tam
 sublestæ fidei sunt, tam exiguæ auctoritatis illa Lini nescio cujus Acta;
 quotusquisque non colligat illicò, ejusdem furfuris ac pulveris esse e-
 pistolas, quas scripisse invicem Paulus & Seneca putantur? (r) Sed
 ipsa arx causæ invadenda propius est, & dicendum adeò, cur pro Chri-
 stianismo Senecæ nihil omninò militent ac pugnent illæ epistolæ. Vi-
 delicet parum admodum Christiani in iisdem occurrit, quod arguere,
 fidelem ac Salvatori deditum hominem possit; sed & γνησιότης earū valdè
 dubia est & planè incerta. Videamus utrumq; ex ordine, & perscru-
 temur, ut par est. Prius ergò cuivis, epistolas sollicitius inspiciendi, tam
 in proclivi est, quàm imber est, quando pluit. In primâ laudat Seneca
 C 2 perfo-

personatus epistolas Pauli, (quem sub finem vocet *fratrem*, quasi jam
 antè in Christo notum) tanquam *mirâ exhortatione vitam moralem conti-*
mentes, quibus & *se usq; refectum* fatetur, eosq; *sensus Paulum non ex se,*
sed per se, certè aliquando ex se & per se dictos garrit. (s) Nisi parum pro-
 spiciunt oculi, nihil hîc videmus, quod vel desiderium vel notitiam
 Christianæ religionis vel tantillum præ se ferat aut innuat. Namque
 moralia, quæ in epistolis Pauli *θεοπνευστος* occurrunt magno numero,
 (si modò quidpiam eorum vidit sapiens de porticu) ad vitam quidem
 piam & christiano dignam, non verò ad fidem, quæ Christi meritò ni-
 titur saluari, viam proximè ostendunt. Itaque hinc judicari non dif-
 ficulter potest, non meliorem esse Pauli responsoriam, quàm *felicem se ar-*
bitratur tanti viri iudicio. (t) Id quod vix congruit cum eo, quod A-
 postolorum maximus dixit, se Christi servum non esse, si placere homi-
 nibus voluisset. (u) Succedit alterum par epistolarum: ubi in suâ ne-
 scio quid somniat Pseudo-Seneca de voluminibus Casari destinatis; cujus
 gratiâ & presentem fore Paulum sperat: in sua verò Paulus ille commen-
 titius presentem sibi omni tempore Senecam existimat, quotiescunq; literas
 ejus audit, itaque & de adventu ejus spem sibi facit. Atque ita mutu-
 um muli hi scabunt, nihil verò, quod Christianismum sapiat, propi-
 nant. In sequenti epistolio, ut jam olim putârunt, *angitur* larvatus
 Seneca *secessu* Pauli, vel remorâ potius diuturnâ in Hispaniis. (x) Cui,
 somnio vaniora sunt, quæ respondet Pseudo-Paulus. (y) Sed nunc se
 Christianum esse prodit epistolâ sequente Seneca. *Profiteatur* enim pri-
 mò, *benè se acceptum* (fortè delectatum) in lectione literarum Pauli, quas
 Galatis, Corinthiis & Acheis misit. Rationem addit: *Spiritus enim san-*
ctus in te, & suprate excelsos, sublimiores, valdeque venerabiles sensus ex-
primit. Cultum tamen sermonis, majestati earum velit non deesse. Deinde
 & confitetur, *Augustum sensibus illis permotum, cui, lecto literarum Pauli*
exordio, hæc vox fuerit: mirari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit,
valiter sentiat. Cui verò Seneca responderit, *solere Deos ore innocetium*
offari; addito rustici exemplo, cui cum in agro Reatino duo apparuissent
viri, qui Castor & Pollux sunt nominati, divinitus instructum fuisse. (z)
 Ita confundit imperitus ille cocus inter se Spiritum S. & Deastros gen-
 tilium, illius & horum instinctum, modò notitiam Spiritus S. simu-
 lat, modò & Castoris ac Pollicis amorem. Ecquid igitur Paulus? Re-
 spondet; licet non ignorem, *Casarem nostrarum rerum admiratorem & a-*
matorum esse scilicet! (egregium verò amasium, quò nemo in Christi-
 colas

colas fuit crudelior!) *puro tamen se graviter fecisse, quod in notitiam per-*
ferre voluisti, quod ritui & discipline ejus (Neronis) sui contrarium &c. Ro-
gat in super Senecam, de futuro, ne id agat. Cavendum est enim, (porro
scribit) ne dum me diligis, offensam Domino facias. Videlicet culpat, quod
 Seneca Cæsarem perducere voluit in notitiam mysteriorum fidei, à qui-
 bus abhorret gentilismus; quod, ut ne porro studeat, dissvadet, ne
 offensam Domini incurrat. *Quæ admonitio vix consistere cum Pau-*
li in Christum amore, ac constantia Apostolicâ, & promovendæ fidei
studio ardentissimo potest. Timidior sanè Paulus fuisset Senecâ, cum
 hic ausus sit facere, quod ille cavendum putat. In sequente epistola-
 rum pari de alio loquitur Seneca, de cepis Paulus. (aa) Ille veniam
 petit, quod de *epistolarum Pauli editione Cæsari* notitiam fecit: hic se pu-
 tidè excusat, quod nomen suum in epistolarum fronte nomini Senecæ
preferre soleat. Tandem valere jubet *devotissimum Magistrum*: quæ
 loquendi ratio vix convenit cum ævo Paulino: ut rectè observat do-
 ctissimus Bisciola. (bb) Nunc illa se prodit epistola, ad quam respe-
 xisse putatur Hieronymus, quippe quæ dicat Seneca *optare se ejus esse loca*
apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. (cc) Verùm vix habebunt
 hunc sensum verba Pseudo-Senecæ. Nam postquam hic concesserat
 Paulo, *cum sit vertex & altissimorum omnium montium cacumen, ut in pri-*
ma facie epistolarum se nominet, & cum civem Romanum se esse scias: tan-
 dem addit: *nam qui meus, tuus apud se locus, qui tuus, velim ut meus.* In-
 eptè scilicet & obscurè ex Hieronymo videtur expressisse ineptus epi-
 stolarum fabricator, quæ ille satis perspicuè & longè aliò sensu protulit:
 nisi forte S. Pater ad aliam respicit epistolam, quæ inter has non est.
 Sequuntur adhuc duæ Senecæ epistolæ, in quorum alterâ *συμπάθειαν*
 contestatur, quod *de innocentia Christianorum subinde sumatur supplici-*
um; hinc & de incendio urbis Romæ, tempore Neronis quod contigit,
 imperitè narrat; (dd) in alterâ monet Paulum, ut *Latinitati morem*
gerat, id est, operam navet. Hæc videlicet Pseudo-Senecæ illi curæ e-
 rat, non Christiana fides aut conversio: & tamen in ultimâ suâ fictus
 ille Paulus putat, Senecæ ea esse *revelata, quæ paucis divinitas concessit, cer-*
tusq; est, se in agro jam fertili semen fortissimum se vixisse, verbum nempe sibi
le Dei derivamentum crescentis & manentis in æternum. Nolo nunc affer-
 re, quæ de erroribus in Chronologia, quæ COSS. Romanos, in fine qua-
 rundam epistolarum adscriptos. observant eruditi. (ee) Aut nihil
 igitur, aut parum admodum videre est in his epistoliis, quid de Chri-
 stianismo Senecæ certum facere possit indicium, aut evidenti esse docu-
 mento

mento, quod aut Seneca fuerit cupidus discendi fidei mysteria, aut Paulus convertendi & in rectam viam adducendi ovem erroneam. Ut adeò meridiano jubare clarius dispalescat, quàm ruinosò nitatur fundamento, qui hinc exsculpere Christianismum Senecæ voluerunt. *Nec materia* (ut rectè censet Joh. Heinr. Ottius (ff)) *genium Apostolicum sapit, cum nusquam in illis mentio vel Christi, vel crucifixi, vel fidei occurrat.* Equidem Salmeron pronunciare non veretur, (gg) materiam illarum non multum distare ab illis Johannis Evangelistæ ad electam Dominam & ad Cajum, aut Apostoli Pauli ad Philemonem. Sed plurimum distare has Θεοπνευστος & sanctas sanctorum epistolas, à confictis illis Paulo-Senecianis; facile intelligit ac depræhendit, qui conferre inter se singulas velit. Certè in his nihil est neq; Paulò dignum, neq; Seneca: ceu præclare judicavit doctissimus Erasmus scholiis in Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymi. (hh) *Sunt ridicule, ineptæ, barbaræ, Seneca & Paulo indignæ epistolæ,* ait G. Hornius. (ii) Et M. Zuerius Boxhornius: (kk) *quis non omnino insanus & ineptus ex ipso stylo non statim arguat, Auctorem suum eas mentiri?* Videtur quidem Seneca S. Senensi stylum, suum aliquantulum in his epistolis obumbrasse de industriâ, & dissimulasse, ut, si fortè in alienas manus epistolæ venissent, etsi inscriptæ nomine Senecæ, potuissent nihil omnino in periculo non videri Senecæ: periculum enim erat, & contra Imperatoris tunc edictum, Christiani aut Judæi familiaritate uti. Sic ille epistolarum promachus. (ll) Qui etiam arbitratur, Paulum ad Senecam non scripsisse, ut ad regeneratum & ut planè fidelem, sed ut ad amicum, & qui Christianos non odio, sed benevolentiam prosequeretur, & qui disciplinam probaret eorum. Verùm quod styli dissimulationem attinet, illa vix immunem à periculo præstare potuisset Senecam; cum ad illud suffecisset indicium nominis, præfixi ab eo, qui scripserat epistolas. Quod verò Senensis opinatur, non regeneratum fuisse nec planè fidelem Senecam, cum ad eum scriberet Paulus; in eò quidem consentit cum his, qui de Christianismo Senecæ dubitant: sed in eò tamen sibi repugnat ipsi, quando addit, disciplinam Christianorum probatam fuisse à Seneca, quin & ipsi Paulo, quando in epistola ultima scribit, ea esse revelata Senecæ, quæ paucis divinitas concessit, ipsumq; ut agrum fertilem verbi divini sementem excepisse. Unde consequitur & regeneratum fuisse & non regeneratum Senecam, fidelem, sed non planè fidelem extitisse: quæ absurda sunt. Aut ergò Christianus fuit, idem, aut non Christianus: si

si hoc, cur in Bibliotheca sancta ipsi conceditur locus? si illud; ecurr
regeneratum & fidelem esse negat? Atque ita ostensum est prolixius
paullo, vix posse probari ex epistolis illis Christianismum Senecæ, & ex
ea quidem ratione, quia parum in illis extat quod fidei Christianæ indi-
cium facere possit. Nunc accedat ratio altera, quò ὑποβολιμαία cor-
dationibus ex ipsis quoque Pontificiis, & aliis habentur, ac supposititia
Pauli illa & Senecæ scripta. Id quod cum ex multis aliis, tum præci-
pue ex dissimilitudine styli, juxta ac similitudine probatur. Discre-
pant nempe, quæ in his leguntur epistolis, non solum à Pauli, sed & Se-
necæ stylo, ac scribendi modò. Quod si verò sunt forte, quæ cum Pau-
li phrasi congruunt, ut, quando epistolâ de περιμῆσει nominum, se
debere cum omnibus omnia esse, fatur, atque ita convenit cum eo, quod alibi
ait Apostolus; (mm) tum dicendum est cum ingeniosissimo Danhau-
ero, ejusmodi Symphonismos esse fornicos. (nn) Et quàm distat Sene-
cæ veri, & supposititii hujus stylus? Vix cælum à terrâ tam remotum, tamque
nihil habere rei cum luce tenebræ possunt dici, quàm non convenit
inter stylum Senecæ, quò utitur in scriptis suis indubiis, & in his epi-
stolis ac schedis. Deinde annon satis se prodit forex, cum in episto-
lis, de quibus nunc dicimus, exacta occurrit similitudo? Quæ sanè u-
nius ejusdemque hominis literas esse demonstrat, qui eas nefariè ac do-
lolè confinxit. Conferantur diligenter atque attentè; & illicò appare-
bit, quod μία sit κόνις, nec ovum ovo similis, nec aqua aquæ, nec lac
lacti, quàm sunt Pauli istæ & Senecæ, ut vocant, literæ. (oo) Atque hinc
factum est, ut ab omnibus propè eruditioribus inter commentitia scri-
pta rejectæ sint hæ epistolæ: ex quibus sufficiat nunc laudâsse Erasmus,
(pp) Baronium (qq) Vivem (rr) Cornelium à Lapide, (ss) Bisciolam,
(tt) Possevinum, (uu) alios Pontificios; è Calvinianis verò idem sta-
tuunt Robertus Cocus (xx) Boxhornius, (yy) Hornius (zz) Voëti-
us, (aaa) Otzius, (bbb) & alii: consentiunt ex nostris, Osiander, (ccc)
Gerhardus (ddd) Dilherrus (eee) Danhauerus (fff) Barthius (ggg) Arn-
dius (hhh) Waltherus (iii) & omnes reliqui, quibus tædio est glandibus
vesci, postquam inventum Dei gratiâ frumentum est. Quod si autem
tam suspectæ, imò & nullius planè fidei sunt epistolæ illæ ἀμοιβαίας
Pauli ac Senecæ; ecquis vitio nobis vertat, aut in malam rapiat par-
tem, si in liberâ Rep. liberis utamur lingvis, scapham dicamus sca-
pham, & pronunciemus audacter, ex epistolis illis non posse demon-
strari, Senecam verè fuisse Christianum? ὅσπερ ἔδει δυνῆναι. Atque
sic sufficiat inquisivisse in rationes, quæ afferri solent à nonnullis, ad o-
stendens

257/961

attendendum, Senecam sapientissimum inter Christianos connumerari debere. Sed ad eos nunc convertendus est cum animo calamus, in quorum gratiam hæc præfati sumus. Videlicet cras, Deo feliciter annuente, post sacra ordinaria pomeridiana vituperia instituent quorundam, quæ laude indigna sunt, Adolefcentes optimi, & quidem I. GUSTAVUS Bonacker/OPPURGO-THURINGUS reprehendet factum Tullie, quæ per Patris corpus carpentum egit, II. JO. FRIDERICUS MASIUS NETSCHAVIA-VAR. vituperabit pulverem pyrium, III. CHRISTOPHORUS Krauß/GERANUS vituperationem inter prodigalitatem & avaritiam comparativam instituet, IV. deniq; ADAMUS CHRISTOPHORUS Treher/GREIZA-VAR. comparatione inter Sextum Tarquinium & Appium Claudium Romanos tentatâ, utrumq; reprehendet. Hi igitur ut à PLURIMUM VENERANDIS DNN. INSPECTORIBUS, OMNIBUS item ALIIS MUSARUM FAUTORIBUS HUMANORUM, benevolè & frequenter audiantur, enixè etiam atq; etiam rogamus. P. P. Geræ d. XIX Junij, A. O. R. ∞ 16c LXXXIII.

NOTULARUM EVOLUTIO,

(a) lib. I. Am. eleg. 15. (b) vid. Tacit. Annal. l. XV. cap. 6. p. m. 349. (c) l. 2. seu de pass. Pauli. (d) epist. LIV. (e) in catal. Script. Eccles. (f) in chronico. vid. Labb. tom. 2. p. 332. (g) comment. ad Philip. IV, 22. (h) Biblioth. Patrum tom. VI. f. 178. (i) ad chronicon Dextri. (*) ad ann. C. 66. n. XIII. (**) Hor. subsec. l. XV. c. I. (k) tom. 2. de Script. Eccles. p. 27. 28. (l) ad ann. C. 69 n. VI. (m) de continental. l. 6. cap. 2. (n) de Rom. Rontif. l. 2. c. 9. & lib. de Script. Eccl. p. 37. (o) in Apparatu voc. Linu. (p) v. Cocus in Cens. p. 28. (q) tom. VII. Bibl. Patr. f. 171. (r) ita rectè colligit D. Mich. Walth. in Offic. Bibl. p. 1224. (s) vid. S. Senens. Biblioth. Sanctæ l. 2. p. 155. C. (t) ibid. D. (u) Gal. I, 10. (x) vid. Bivarius in notis ad Dextr. chron. (y) vid. Senens. l. c. fac. b. B. (z) l. c. D. (aa) pag. 116. fac. a. B. C. (bb) l. XV. Hor. subsec. c. I. f. 1086. C. (cc) in Catal. Script. Eccles. f. 275. (dd) Ita judicat Baron. ad Ann. C. 66. n. XI. (ee) vid. idem l. c. & Bisciol. l. c. D. (ff) ad Annal. Baron. ann. 66. p. 439. (gg) Comment. in epist. ad Philipp. IV, 22. (hh) f. 308. (ii) Hist. Philos. l. 4. c. 6 p. 258. (kk) Hist. univ. p. 123. (ll) f. 114. C. (mm) I. Cor. IX, 22. (nn) Hermenev. sacr. p. 372. (oo) Sunt argumenta non momenti nullius Bisciole l. XV. Horar. c. I. (pp) l. c. (qq) l. c. (rr) comm. in l. VI. Aug. de C. D. c. X. (ss) in Act. c. XVIII. f. 281. (tt) l. c. (uu) Appar. verbo Seneca, & tom. I. Appar. initio ad lector. (xx) in Censur. p. 19. (yy) Hist. univ. l. 8. (zz) l. c. (aaa) parte II. sel. disp. Theol. p. 611 (bbb) l. c. (ccc) Hist. Eccl. cent. I. p. 121. (ddd) Patrol. p. 74. (eee) tom. I. disp. 7. p. 99. (fff) Act. Christid. p. 893. (ggg) ad Claud. Mamm. p. 268. seq. (hhh) in Lex. Antiq. Eccles. p. 21. (iii) in Offic. p. 1224.

VDT



putantur. Equ
entissimum Ch
locum, & in agr
invidia aut noc
dere? Quid? c

Paso

Neq; verò nega
Dei ac Sospitac
sibi, si quidem v
Pauli non erat t
ctiores pro sua
ctrinæ, usu que
renda Christian
dei confessione
copiosè effusus
tri sulcum fecis
fractè, si quis di
stianam fidem,
apertè Christus
Exinde enim r
feri fortè potu
Christiana.

verâ, & ut Phi
Seneca, adeò u
Testimonia A
ducta, *ὅταν* il
dum erat; in c
do Senecæ Ch
ἐπιποθεῖας ac r
dum videtur.

ACE

potest, ex epist
pinionem, qua

on fit omnino
stud. quantum li
um fuit. Nam
illa re producta
præfixerunt non
actè ferire meritò
imus virum sapi
anctos habuisse
e. Ecquid enim
qui vellent invi-

esiam, eumq; veri
otuisse comparare
(b) & ipsius adeò
orare penitus do
pios vigerent do
ebant oculos hor
ures intrepida fi
rem sanguis tam
nam Amphithea
pugnaverim præ
pronum ad Chri
eidem daret, aut
ævissimi Neronis.
ἠναίτων fuisse, seu
fuisse à religione
rsiam venit, an re
num sit professus
onnumerari queat?
acula fuerunt pro
are, quod proban
simi pro adstruen
as Pauli ac Senecæ
is porro dispicien
timoniis non unis
bus illam fuisse o
ecam non veretur.
Etenim

